



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XXXII. De Judice ad instantiam Partis non audiente testem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

go. Et hinc potestatem excommunicandi parochianos proprios tribuunt Parocho Jo. Andr. & Hostiens. in c. 2. b. t. Item Filescus in can. miramur caus. 24. q. 1. At v. Illa Jura imprimis hoc non dicunt, dein, etsi dicerent, plus inde non evinceretur, quam quod Parochus in foro interno, pro

quo solo habet jurisdictionem, possit coercere suos parochianos in penitentia, & pro concione, vel in privatis congressibus dehortari ab illicitis, & penas à Deo vel à Magistratu infligendas minitari. Illi pauci Auctores à torrente aliorum omnino absorbentur.



TITULUS XXXII.

De Officio Judicis.

DECISIO XXXII.

De Judice ad instantiam Partis non audiente testem, quem illa volebat producere.

Leoninus sponsalia de futuro contraxerat cum Cordula sub juramento adjecto, additâ tamen post temporis intervallum ex mutuo consensu eâ lege, ut, si alterutra pars sine alterius consensu accederet conventum, ubi utriusque sexûs homines hilaritatis causâ associantur, vulgò zur Gesellschaft / maximè ubi choreæ ducuntur, eo ipso resillire à sponsalibus liceret innocenti, sublata obligatione. Diu utraque pars se continuit ab hujusmodi periculosis associationibus & choreis, at Cordula, hilarioris genii, tandem hujus solitudinis pertata adiit hortum suburbanum invitata, ibique cum Ju-

venum nobili cohorte per totam noctem commorata liberaliter indulgentio inter saltus & choreas, intra limites tamen, ut aiebat, omnis modestiæ. Id resciscens Leoninus contra factum Cordula conquestus eidem nuntium remisit, additis litteris, se porro, cum promissis illa non steteret, obligatum non esse suis, proindeque liberum modò licitumque sibi esse cum alia inire Matrimonium juxta mutuum conventionem. Cordula hoc nuntio non leviter offensa non tantum unum ex sociis nocturni conventûs graviter concitavit in Leoninum, sed insuper etiam rem detulit ad Consistorium, ibique negavit & pernegavit, pra-

predictam legem suis Sponsalibus unquam fuisse adjectam; quapropter, licet Leoninus identidem provocaret ad talem locupletissimum, sacerdotem quemdam, eumque audiri rogaret, nihilominus illo non audito Judex, nempe Consistorium, condemnavit Leoninum ad implenda Sponsalia. Le-

oninus, ut ut plurimum hac sententia se gravatum senserit, ab ea tamen non appellavit, nunc verò neglectæ appellationis poenitens, cum Sponsalibus nulla ratione stare velit, impugnare sententiam velut nullam cogitat, &

QUÆRIT,

An non detur remedium nullitatis contra sententiam Judicis, qui testem idoneum, quem Pars vult producere, non audit?

Judicem, qui in Processu, etiam Summario, non admittit necessarias probationes, pronuntiare nulliter, consequenter locum dari remedio nullitatis, colligitur I. Ex Clem. sepe contigit 2. de V. S. ubi sic dicitur: non sic tamen Judex litem abbreviet, quin probationes necessariae, & defensiones legitime admittantur: atqui productio testis in nostro casu fuit probatio necessaria ex parte Leonini: ergo. II. Ex pr. Inst. de Off. Jud. l. fin. C. de Veteri Jure enuci. l. fin. C. si cont. Jus. & can. dicenti v. omnes Judices caus. 25. q. 2. can. Judices caus. 2. q. 7. ubi omnes Judices jubentur pronuntiare secundum leges, ita ut alter lata sententia sit infirma, nec appellatione indigeat. Vantius de Nullitate, tit. an qualibet sententia n. 2. Atqui Leges jubent audiri testes, & admitti probationes. l. 2. 3. ff. & Nov. 90. de Testib. ergo. III. Ex natura & substantiali Ordine Judicii, ad quem

pertinet accurata causæ cognitio & examinatio, ita ut sine prævia tali cognitione sententia sit nulla, ut inquit Bartol. & alii DD. in l. prolatam versic. fin. C. de sentent. & interloc. facit quoque text. in l. si Judex. & l. fin. C. Comminationes. item in can. summo-pere caus. 11. q. 3. & c. cum ex litteris de in integr. restit. Vantius tit. de Nullitate ex Defectu Processus n. 36. sed hæc sententia non audito teste est lata sine accurata cognitione causæ: ergo. IV. Parte non audita pronuntiat nulliter juxta omnes, & Juris Naturalis præscriptum, quod exigit Reo concedi defensionem, nemini denegandam. l. defensionis C. de Jure fisci lib. 10. c. cum olim de sent. & re jud. & Clem. Pastoralis §. ceterum eod. Unde & nulla communiter esse dicitur sententia, quam fert Judex lectis tantum Actis unius Partis: ergo etiam, si Judex tantum unius probationem vel defensionem audiat, non

T

verò

verò alterius Partis, uti contigit hîc, ubi Judex, licet audiverit Leoninum, tamen non satis eum audivit, non admittens necessariam ejus probationem, quam voluit facere per productionem testis omni exceptione majoris, credens interim alteri Parti, ac plus æquò deferens assertis, vel potius meris negationibus illius. Ita quidem pro Leonino, si in facti specie verum retulit, de quo dubito, non improbabilius discurritur. Nihilominus tamen

Quamvis speciosa hæc sint, & minime contemnenda, magis tamen in contrarium propendo, & tenendum cenfeo, præcisè ob negatam testis, ad quem se refert Pars litigans, productionem non reddi irritam sententiam, sed tantum iniquam. Inclinat me ad hoc dicendum I. Quòd juxta magis communem sententiam probationes de sui natura non sint de substantia Judicii, seu de Ordine & forma Substantiali Judicii, licet sint ad bene esse Judicii, media causa, & de Ordine Justitiæ, ita utiis non sufficienter habitis lata sententia sit iniqua, ut docent Bald. Angel. & alii in *l. prolatam cit.* ergo. II. Textus in *l. qui accusare C. de Edendo*, ubi habetur, quòd in favorem Rei, Actore etiam aliquid probante, licet Reus nihil præstet, sententia proferri possit. Concordat *c. afferte de præsumpt.* Latè Felin. in *c. Sanctæ Mariæ de constit. colum. 11. versic. similiter & fortius.* Glossa quidem tenet oppositum, casu quo Judex noluisse probationes recipere, uti hîc fecit, sed glossæ o-

pinio procedere potest, quando à denegata admissione probationum Pars præfens appellavit, ut concludunt Felin. & alii in *d. c.* per textum in *l. Agentarius §. cum autem v. si non probabit ff. de Edendo.* Capicius, Vanitius tit. de Nullitate ex defectu processus n. 39. Atqui Leoninus non appellavit à denegata admissione testis. Dicitur unus testis, licet omni exceptione major, quamvis fuisset admissus, tamen non plenè probasset se solo; ergo non apparet, quare sententia in favorem alterius partis, quæ per oppositam exceptionem Leonini facta est Rea quoad hoc punctum, lata non potuerit subsistere, cum subsistat, licet actor aliquid probet, hic autem tantum aliquid potuisset probare. Sibi imputet Leoninus, quòd non appellando confirmavit sententiam, & parere necesse habeat. *l. fin. C. de jure que sine certa & c. l. ab eo. C. quando & quando. l. 1. C. de Postulando.* Rursum III. Text. in *c. dilectus filius 29. de Rescr. & c. constitutus de Testib.* ex quibus locis colligitur, quòd si Judex Partis defensionem non admittat, & Pars à denegatione non appellet, sententia valeat. IV. Dilectus Juris, talem sententiam irritantis. Sicut enim ex eo, quòd in Jure proditum non sit remedium nullitatis pro casu, quo petuntur quidem dilationes à Parte, à Judice verò denegantur, & non obstante petitione proferatur sententia, hæc habetur pro valida. per *c. 1. de dilat.* Vanitius lo. cit. n. 42. cum dilationes (sicut & probatio-

bationes) non sint de forma substantiali & Ordine Judicii, sed tantum media causæ, & jus Partis. V. Communis doctrina, qua dicitur invalida quidem sententia, quæ est lata contra Jus Constitutionis, seu contra leges claras, aut consuetudines. l. 2. C. quando provocare non est necesse. c. 1. de sent. non verò illa, quæ tantum est contra Jus Partis, hæc enim tantum dicitur esse iniqua: atqui negare productionem testis, vel alterius probationis, uti negare dilationem parti petenti, non est contra clarum Jus constitutionis; cum nulla Lex ad Ordinem & formam substantialem Judicii, vel ad valorem sententiæ, id clarè requiratur: sed est tantum contra jus partis, justè petentis audiri testem &c. ergo. VI. Præsumptio Juris, quæ stat pro Judice & sententia, postquam hæc transit in rem judicatam; tunc enim, si sententia præsentem, vel saltem citata Parte ac non reclamante, est lata, præsumitur ritè & validè lata, text. & DD. in c. bona 2. de Elect. c. sicut 16. de sent. & re jud. Et est communis teste Alex. l. 2. Conf. 22. & l. 7. conf. 25. Panormit. l. 2. conf. 17. Præsertim cum in dubio semper præsumendum pro valore actûs, ut magis sustineatur, quàm ut pereat. l. quoties ff. de reb. dub. l. quando ff. de leg. l. Denique VII. Praxis summorum tribunalium, Curia Romanæ nimirum & Camera Imperialis, ubi nulla ferè nullitas attenditur, quàm illa, quæ inducitur per incompetentiam Judicis, omisam citationem Rei,

& falsum Procuratorem; non verò illa, quæ ex defectu solennitatum processûs oriuntur: minus ergo pro sententia nulla erit habenda, ubi omisâ est tantum probatio aliqua.

Opposita commodam admittunt solutionem, dum respondetur Ad I. Juxta d. Clem. admitti quidem debent probationes necessariae, ut sententia sit justa, non tamen ut sit valida, quia textus nullam habet clausulam irritantem. Ad II. Ex illis Juribus probatur quidem, quòd sententia sit nulla, quæ pronuntiatur contra Jus aliquod Constitutionis, vel contra Jus sententiam irritans, non verò, quæ contra jus Partis: si Judex non admisit probationem petita pronuntiet contra Partem, tantum pronuntiat contra jus Partis & merita causæ; quod quidem Jura prohibent, non tamen propterea irritant sententiam, ut habet communis Interpretum. Ad III. Aliqua causæ cognitio, præsertim illa, quæ acq uiritur per hoc, quòd Pars citata audiatur, est quidem de Ordine substantiali Judicii, ita ut eâ omisâ pronuntietur nulliter, non tamen omnino cognitio, præsertim quæ acquiri posset per hoc, quòd audiatur testis, quem Pars vult producere, saltem si Pars non appellet, sed patiatu r testem non audiri. Vantius n. 36. cit. cum Baldo & Alex. item n. 42. citans l. in causa s. causa cognita ff. de Minor. Ad IV. ferè est eadem responsio: si Judex omnino non citaret Partem, vel eam non audiret, vel unius tantum Acta legeret, nulliter quidem proferret

ret sententiam; non tamen, si audiat Partem citatam, & præsentem, non verò ipsius testem, vel alias probationes, quæ tantum sunt media causæ, non de ordine & forma substantiali Judicii. Tali enim casu non quidem sufficienter audiret Partem, atque ideo sententia foret iniqua, hæc tamen non satis probatur esse invalida,

saltem ubi de hac Judicis iniquitate non apertè & manifestè constat; cum pro ipso stet præsumptio Juris, quòd legitime processerit, & testem ex justa causa non admiserit. c. 10. in f. de sent. & re jud. Cum igitur ex remedio nullitatis illatum sibi gravamen per Confistorii sententiam declinare vix sperare possit,

QUERIT LEONINUS ITERUM,

An ergo nullum sibi supersit remedium, & quale, quo contra adversam sibi sententiam Confistorii se juvare valeat?

Videtur duplex Leonino remedium superesse, & quidem I. *Restitutio-nem in integrum*, & quidem, si minorennis, seu 25. annis minor fuisset tempore sententiæ, certò & sine controversia ex *Edicto minorum*, si probet læsionem, uti facile poterit. l. 42. ff. de minor. l. 1. 2. §. t. t. c. si adversus rem jud. Afflict. decis. 175. Gales. de restit. in integr. c. 2. n. 323. seqq. Si verò jam majorennis fuit, ex *Edicto majorum* scilicet ex generali clausula Prætoris in l. 1. ff. ex quib. caus. major. ibi: *si qua alia tibi iusta causa esse videbitur, in integrum restituam*. Idem repetitur in l. 26. §. 9. ff. eod. & additur, *ut quotiens æquitas restitutionem suggerit, ad hanc clausulam erit descendendum*: ergo, quotiescunque iusta causa vel æquitas reperitur, restitutio in integrum peti & dari potest ex vi dictæ clausulæ generalis, non quidem ut remedium extraordinarium, sicut ex-

teræ restitutiones, sed ut subsidiarium, ut communiter concludunt Doctores apud Galesium tract. de restit. in integr. c. 8. n. 180. quodcumque nimirum deficit remedium ordinarium, & læsus aliter à damno resurgere nequit, atqui in præsentī negotio iusta reperitur causa, se tenens ex parte Judicis, qui imploratus non admisit productionem testis, approbata in d. l. 26. ff. §. 4. l. 1. cit. §. 1. v. sive cui per Magistratum. Gales. à n. 375. Et læsio, quam sentit Leoninus ex sententia ipsam adstringente ad Matrimonium, gravis omnino, satisque notoria, ac propterea denegatam testis auditionem &c. iniqua est, nec alio remedio aufertibilis, cum appellatio eidem non amplius detur: ergo &c. Præsertim cum pro iusta causa communiter habeatur bonum jus, quòd habet pars petens restitutionem in negotio principali, item sententiæ injustitia, etiam non notoria.

ria. Gales. c. 1. n. 36. 38. cum multis allegatis. Decisiones Rotæ plures apud eundem Gales. *ibid.* in Catalogo Decisionum n. 33. 312. 347. &c. Idem evinci videtur ex c. ex litteris 4. de in integr. restit. ubi in favorem Matrimonii, licet ad plenum non constet de læsione, de benignitate Canonica supplicatio, & ad audientiam restitutio admittitur: sed hic agitur de Matrimonio, non quidem iam contracto, uti in d. c. 4. sed de contrahendo, quod tamen non minus debet esse favorabile, præsertim cum agatur de libertate illud contrahendi & de obligatione ad illud, quæ in Leonino longè probabilius non datur: ergo ex æquitate Canonica debet Leonino concedi plena audientia, etiam testis, atque ad hanc restitutio; cum planè æquitas & benignitas Canonica non patiatur Leoninum vinculo insolubili adstringi, contra ejus voluntatem, tam justè repugnantis tum propter denegatam testis audientiam, tum propter concitatum à sponsa in se alterius grave odium ac injuriosam provocationem, & quidem, licet plenè non probaret læsionem Leoninus, ut habet textus, ob causæ favorem. Abb. Innoc. Bellam. Jo. Andr. Ant. de Butr. Gales. in cit. tract. ad d. c. 4. n. 4. seqq. & hoc teste alii uno ore. Confirmatur à pari; siquidem teste Vantio de nullitat. sent. ex defectu Processus n. 132. juxta omnes datur restitutio in integrum contra sententiam, quæ lata est ex probationibus falsis. propter textus in L. Divus ff. de re jud. tit. C. si ex falsis. l. ex falsis C. de transact. & c. licet ib. de

Probat. Cur ergo non concedatur, si parti negata sit probatio vera, & necessaria, quam potuisset facere adducendo unum testem omni exceptione majorem, & huic addendo juramentum suppletorium? non enim minus lædit Judex negando parti probationem veram, quàm admittendo falsam.

Alterum remedium est *Supplicatio*, non tantum illa, qua Leoninus petere ab Episcopo potest restitutionem in integrum, si nolit eam à priori Judice petere; cum hæc Supplicatio non differret à priori remedio Restitutionis in integrum. Verum etiam illa Supplicatio, qua per viam querelæ potest rogare Episcopum, ut jubeat causam de novo cognosci, & Leoninum cum suis probationibus sufficienter audiri, ac tum demum, quod justum videbitur, pronuntiari; nam hæc Supplicatio tunc habet locum, quando de Jure non competit gravato per sententiam Appellatio, ut nimirum Princeps vel Superior gravamen ab inferiore illatum tollat. *Auth. que supplicatio C. de precib. Imp. offer.* Menoch. de arbitrar. l. 1. q. 70. n. 3. & ad Remed. 4. adipiscende n. 895. Afflictus Decis. 341. Valasc. Conf. 51. n. 28. Decian. vol. 1. Resp. 47. Licet autem à Vicario Episcopi C. idem est de Consistorio illius non detur Appellatio, locum tamen habet Supplicatio, sicut &, si sententia Vicarii impugnaretur ut nulla, Episcopus accedi posset. Vantio de nullitatibus tit. coram quo. n. 20.

Casu quo autem Leoninus vel per
viam Supplicationis, vel per reme-
dium Restitutionis in integrum, ab E-

piscopo vel Consistorio impetratum
novam causæ cognitionem obtinuit,
rit, sui que testis audientiam,

QUÆRIT TERTIO,

*An Judex teneatur ex officio suo deferre juramentum
suppletorium ad complendam probationem, quæ per
unum testem evadit tantum semiplena?*

Negat Donellus *c. 11. de Jurejur.*
n. 8. & cum eo Treutlerus
disp. de jurejur. th. 10. Judicem ad id
teneri I. quia *l. admonendi 31. ff. de ju-*
rejur. adhibet verbum *solent*, ibi: *so-*
lent enim sepe Judices &c. quod non
indicat necessitatem, sed liberum u-
sum. II. Ubi Actor non plenè pro-
bat suam intentionem, potest Judex
Reum absolvere. *l. 4. C. de Edendo l. 9.*
C. de testib. vel saltem ipsi Reo defer-
re jusjurandum. per *l. 3. C. de R. C.* Ac-
cedit III. illud vulgatum: *non, quidquid*
potestati Judicis permittitur, id continuo
subjicitur necessitati Juris. Item IV. paria
sunt, non probare, & non perfectè pro-
bare. per *l. 6. ff. qui satisd. cog.* nam
quando lex probationem exigit, plenam
exigit, & legitimam. *l. ult. C. de Prob.*
ergo, si Actor non plenè probat, non
tenetur Judex ei deferre juramentum,
ut suppleatur probatio. Nam V. duo
imperfecta non faciunt unum perfe-
ctum, arg. *l. 15. §. 11. ff. de Excusat.*
tut. ergo nec juramentum cum semi-
plena probatione junctum efficit pro-
bationem plenam, & vel ad absol-
vendum vel ad condemnandum suffi-
cientem. VI. Vox unius, vox nullius,

& legibus expressè cautum, ne Ju-
dex unius testis, quantacunque aucto-
ritate præditi, depositionem sequatur.
l. 9. §. 1. C. de testib.

Affirmat communis reliquorum se-
rè omnium, & nos cum ipsis, Judi-
cem adstringi ex officio suo ad de-
ferendum jusjurandum, casu quo per
intentionem vel exceptionem suam
semiplenè probavit, ut in nostro ca-
su Leoninus per unum testem, qui au-
diri debet, exceptionem suam plenè
probat semiplenè, cum nemo negat,
unum testem omni exceptione major-
em semiplenè probare. Et hæc sen-
tentia in omnibus Curiis recepta est
teste Vinnio in *qq. Juris l. 1. c. 44.*
Eamque probant *DD. ex l. admonendi*
cit. ex l. 3. §. 12. C. de reb. cred. te-
xus in d. l. 3. sic habet: *per judicem ju-*
rejurando causâ cognitâ rem decisi oportet:
quo verbò oportet plenè necessi-
tas imponitur Judici, non libera ejus
potestati permittitur, an in probatio-
nis inopia velit deferre juramentum
suppletorium, nec ne. Ratio est ma-
nifesta, quia in re dubia, qualis effi-
citur, si unus testis, vel alia semiplena
probatio à Parte litigante fuit adducta,
aliter

aliter causam decidere Judex non potest; hinc enim *l. 1. ff. de Jurejur.* jurandum dicitur maximum remedium expediendarum litium, & Judex, de qua re semel cognoscere cœpit, de eadem etiam pronuntiare, & pronuntians causam finire debet, *l. 74. ff. de Judic. l. 1. ff. de re jud.* at pronuntiare non potest, quamdiu res manet dubia, & non plenè probata: ergo pertinet ad Officium Judicis delato jurejurando probationem plenam procurare. Opposita levi removentur brachio. Ad I. dico, verbum *solent* ibi necessitatem importare, ut concordet cum verbo *oportet* in *d. l. 3.* positum: id quod etiam insinuant verba *cit. l. admoventi*, sic sonantia, *secundùm eum, qui juraverit*, atque evincit communis DD. sensus: neque à Jure alienum est, verbum *solet*, vel *solent*, idem significare, quod denotat verbum *debet* vel *debent*, ut in *l. 86. § 94. ff. de R. J.* Ad II. Actore quidem nihil vel ferè nihil probante Reus est absolvendus, at non, si aliquid, & semiplenè probavit: datur enim medium inter nihil probare, & omnino seu plenè probare, nimirum semiplena probatio, quæ habetur per unum testem, præsumptionem gravem &c. Denegatur, quod Reo determinatè deferendum sit juramentum in causa dubia, quamvis pro rerum circumstantiis in arbitrio Judicis, qui illas penitare diligenter debet, sit deferre juramentum, vel suppletorium Actori, vel purgatorium Reo, ut insinuat in *l. 3. cit.* per illa verba, *causâ cognitâ*, & *c. ult. de jurejur. §. 1. ibi:*

presumptione verò faciente pro illo, (scilicet actore) reo deferri potest juramentum, nisi Judex (inspectis personarum & causa circumstantiis) illud actori videat deferendum. Ad III. Illud non procedit, quando ipsa Jura & ratio imponunt Judici necessitatem, ut imponunt necessitatem deferendi juramentum in casu semiplenæ probationis ab altera parte non elisæ, vel labefactatæ per probationem contrariam, quod probant nostræ Assertio- nis fundamenta. Ad IV. Id verum esset, si nec verisimiliter aut semiplenè intentionem, vel exceptionem suam probaret Pars; tunc enim paria forent nihil, & non sufficienter probare; qui verò semiplenè probat, non agit nihil, & quamvis nondum fecerit plenam Judici fidem, tamen opinionem induxit, & quia *l. ult. cit.* requirit plenam probationem, & hæc haberi potest delatò juramentò, hoc ipso Judicem obligat ad deferendum juramentum, quo completur & efficitur plena ac legitima probatio. Ad V. Non est novum, ut duo vel plura, se solis infirma & insufficientia, simul tamen juncta & coacervata evadant firma & efficacia, ut si uni testi adjungatur alius testis, si uni testi accedat fama, vel gravis præsumptio, ex valde verisimilibus indiciis desumpta, aliave adminicula, ut clarè desumitur ex *l. 5. § 6. C. de probat. l. 12. C. de Testam.* Et licet ob specialem favorem pupillorum receptum sit, ut duæ vel plures excusationes imperfectæ, etiam simul junctæ, non faciant unam perfectam ac sufficientem excusationem, tamen duæ imper-

imperfectæ probationes, si simul jungantur, possunt efficere perfectam & plenam, uti probant *citt.* Leges & nostræ rationes; ne scilicet probationes redigantur in angustum contra *l. quoniam in f. C. de heret. l. penult. pr. C. de reb. cred.* Ad VI. Neque nos asserimus, unum testem, aliunde non adjutum, sufficere in casu, quo agitur de alicujus gravi præjudicio, vel unius testis voci credendum esse; nam credere est plenè assentiri; unius tamen viri gravis testimonium creare potest prudentem opinionem, & Judicis animum movere vel multum inclinare ad assensum, cui si aliud adminiculum, v. g. juramentum accedat, etiam movere ad fidem & assensum plenum, & sic sensim & quasi per gradus perveniri potest ad firmam assensionem. Si ex una sola ratione, vel probatione, deberet de Jure moveri Judex ad plenum assensum vel fidem, ut ferre posset sententiam, cur Jura præcipiunt in *l. admonendi cit.* & alibi, ut juramentum adhibeatur, & secundum eum, qui juraverit, pronuntietur? nam juramentum, ubi aliunde jam adest plena probatio, utpote supervacuum, deferri nequit. *l. 9. C. de O. & A.* Cur Judices ita sollicitè inquirunt & audiunt ulteriora argumenta & probationes diversæ etiam rationis, ubi jam allata est aliqua probatio, fundans opinionem, at nondum plenam fidem merita?

Sed cui, an Leonino an Cordulæ, in nostro casu, postquam in favorem Leonini deposuit testis producendus, deferre Judex debet jusjurandum? *Secundum meam opinionem Le-*

onino, partim quia Leoninus, licet excipiendo factus sit Actor secundum quid, tamen ille principaliter tanquam Reus ad Judicium tractus est à Cordula, executionem sponsalium petente: atqui cæteris paribus deferendum est Reo. *c. ult. cit. § l. 31. ff. de j. rejur.* cum Jura sint priora ad solvendum, quàm ad condemnandum *c. 3. de probat.* partim quia solus Leoninus aliquid probat per unum testem, Cordula verò nihil probat ad elidendam probationem Leonini, sed purè negat, pactum illud de solvendis sponsalibus per accessum ad choreas &c. illis ex postfacto esse adjectum; tali enim casu deferendum est probanti semiplenè, ut docet communis cum Fachin. *l. 1. contror. c. 18. Vinnio c. 42. in fine.* cum puræ probationis nulla sit in rerum natura probatio. *l. 23. C. eod.* partim quia Leoninus præter unum testem, quo semiplenè probat potestatem solvendis sponsalia, etiam habet præsumptionem vix non violentam, quod Cordula alios contra se concitaverit ad iram capitalem, & probrosam provocationem, quæ forsàn sola foret justa causa resiliendi: partim quia ad dispiciendum, cui ex litigantibus deferendum sit juramentum, attendenda specialiter est fides & conditio personæ, item qualitas testis allegati & producti. *Vinnio c. 44. in fine.* ut nempe minus perjurii periculum sit: sed utique mari plus credendum, quàm foemine, semper variabilis. *10. de V. S.* atque testis, quem Leoninus producere paratus est, valdè legalis & excellens est.